



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XVIII. Tertium argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

PROPOSITIO II. III.

23

duntaxat sententia, negliguntur verba, quam cum utraque ἀποδείξει recitantur. Sic ipsi Novi Testamenti Scriptores à Veteri testimonia proferre solent.

XVIII. Denique ad id quod objici potest, plerosque Novi Testamenti libros fuisse ab Hæreticis aliquibus repudiatos, ideoque non constantem fuisse omnium in admittendis iis consensum, ac proinde genuinos haberi non posse, expedita est ac proclivis responsio, hoc ipso in approbandis iis Ecclesiæ consensum apparere, quod quicumque illorum labefactare tentarunt fidem, ab Ecclesia exterminati sunt. Nempe quem quisque Novi Testamenti librum vāsanīa suā putabat adversari, hunc scilicet calculo suo damnabat. Hinc Manichæi quasdam Novi Testamenti partes causæ suæ opportunas recipiebant, reliqua aspernabantur, quorum audaciam hac ætate imitati sunt Anabaptista. Hinc Evangelium secundum Ebraeos probabant Ebionitæ, reliqua parvipendebant. Hinc selecta quadam excipiebant ex Lucæ Evangelio Marcionista, alique ipsorum gregales; Cerinthus vero, & Carpocrates totum penitus repudiabant. Nempe sic unusquisque causæ suæ serviebat. Evangelium Johannis spreverunt Alogi, quod Dei λόγος, quem prædicaverat Johannes, non agnoscerent. Similes ob causas Acta Apostolorum non admittebant Severiani; Pauli quoque Epistolas abjiciebant iidem, & Elcesaitæ. Unus utrisque error, sed variis partibus illudebat. Media incedit Christi Ecclesia, & quem ab initio tramitem tenuit, huic constanter insistere perseverat. Patet ergo luculenter ex superioribus genuinos esse libros Novi Testamenti. Quod erat probandum.

Tertium argumentum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Coætanei sunt libri Novi Testamenti.

I. **E**X superioris Propositionis veritate pendet hujus probatio. Nam cum genuinos esse libros Novi Testamenti demonstraverimus, sequitur scriptos esse eo circiter tempore quo feruntur esse scripti, juxta primam Definitionem. Atqui feruntur esse scripti iis circiter temporibus, quibus res in iis scriptæ contigerunt, nempe non longe post obitum Christi, in ipsis Ecclesiæ primordiis, cum jam caelesti gratia roborati Apostoli, novæ Legis mysteria Judæis primum, deinde orbi universo promulgarent. Coætanei sunt autem libri, qui iis circiter temporibus sunt scripti, quibus res in iis scriptæ contigerunt, uti Definitione secunda tradidimus: unde sequitur coætaneos esse libros Novi Testamenti. Quod erat probandum.

Probatur secunda Propositio.

PROPOSITIO TERTIA.

Historiæ in Novo Testamento scriptæ, veraces sunt.

I. *Probatur ex consensu Scriptorum Novi Testamenti, & suffragiis exterorum, veraces esse historias, II. de Johanne Baptista, Jacobo fratre Jesu, Jesu ipso, & aliis in Novo Testamento commemoratis; III. iterum de Jesu; IV. tum de ejus patria & parentibus; V. de nova stella Magis visa, & de infantibus ab Herode occisis; VI. de virtutibus Jesu, VII. ejusque morte; VIII. de Solis defectione, & terræ motu, quæ moriente Jesu contigerunt. IX. Refelluntur nonnulli, qui hanc Eclipsim, & hunc terræ motum esse negant ea, quæ à Phlegonte notata sunt. X. De morte Jacobi fratris Domini. XI. Expenditur memorabile Josephi testimonium de Christo Jesu, & defenditur. XII. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. XIII. Secundum argumentum. XIV. Tertium argumentum. XV. Quartum argumentum. XVI. Quintum argumentum. XVII. Sextum argumentum. XVIII. Seorsum refellitur Tanaquilli Fabri dissertatio super hoc Josephi testimonio de Christo Jesu. XIX. De editis à Discipulis*